



**C**Onradus ille Tiguri natus & educatus fuit. Cum autem adoleuisset, cum reliquis Heluetijs in Italia castra secutus, & magnam laudem uirtutis causa adeptus est. Erat enim magna corporis & animi fortitudine præditus, qui res sibi belli & pacis tempore commissas summa dexteritate administravit. Accidit autem eo tempore, ut Ludouicus Galliæ rex instructissimo exercitu equitum & peditum Mediolanum inuaderet, atq; totam Insulbrum regionem sibi subiçere statueret. Itaq; Sforzia à suis cōfederatis Heluetijs auxilia petiit & impetravit. Primo quidem quatuor millia lectissimo rum militum Mediolanum missi sunt, quibus Conradus ille, ob bellicæ rei peritiam & insignem fortitudinem, dux datus fuit. Is, cum suis, Gallis statim obuiam processit, atque in urbe Nouaria potentem illum hostem expectauit. Vnde rex adueniens eam urbem arcta obsidione cinctit, atq; muros machinis bellicis magno terrore concussit. Verum Conradus cū suis Heluetijs intrepido animo, apertis portis, intra urbem manserunt, atq; eam fortiter conseruarunt. Erat Tramulius Gallici exercitus Legatus Itaque Conradus ad eum nuntios misit, atq; huiusmodi sumptus, muros tormentis concutiendi, auferre iussit. sese enim cum suis portam aperuisse, atq; expectare ut erectis signis ingredierentur, & bellī aleam experientur. quoties etiam pars muri corruisset, ipse saltem linteis expansis ruinas tegere iussit.